

Q. D. B. V!

MVCIANVS,
AVCTORITATI

PRINCIPIS CONSVLENS,

SVB PRAESIDIO

CONRADI SAMVELIS

SCHVRZFLEISCHII,

PROF. PVBL.

Ex Tacito Hist. II. 76.

propositus

a

IOANNE ADOLPHO Brücher /

Moeno-Francofurtano,

In Auditorio Maiori,

Ad D. 16. Augusti Anno cIs lbc XC.

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Disputatio XXXIV.

LIPSIÆ, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.
cIs lbc XCIIIX.

MYCINVS
VICTORIA

COMMUNI SALLER
SCHWARZFEIN
PROF. LITH.

JOHANN VANDER



I.

Plerumque homines fortunam accusant, dum ipsi erroris arguendi sunt, quod multa fortunae permittunt, nec futura non modo non sapienter provident, sed praesentia etiam non recte expendunt.

Huc spectabat, huc sua omnia referebat Svetonius Paulinus, cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex causa placebant, apud Tacitum Hist. II. 25.

II. Erravit Demosthenes, cum sua et superiora tempora non distingueret, et pravo studio tantum in praeteritis insistere, neque consilia, ut par erat, rebus praesentibus accommodaret. Fide quidem et amore in Athenarum rempublicam cum Themistocle olim certare potuit, sed in ea tempora incidebat, quae, mutata reipublicae facie, alium agendi suadendique modum poscebant. V. Oratio Demosthenis de corona, et Plutarchus in Demosthene.

III. Contra faciendum sibi putavit Licinius Mucianus, qui ut consilio et prudentia valuit, sic apte iudicavit, et dubitanti Vespasiano opportune svalit, ageret, quod agendum esset, et suae in capessendo Imperio auctoritatis rationem haberet. Tacitus Hist. II. 76.

IV. Omnino tunc afflicta nutansque respublica novo, ac firmiore praesidio egebat, quam Vitellius, soluta belli disciplina, torpore et luxu perdidit, famamque, in qua permagnum ad res gerendas momentum est, incaute neglexit, et indecore amisit. Svetonius in Vitellio cap. X. seq. Excerpta Ioannis Antiocheni in Vitellio.

V. Quibus malis quaerendum erat remedium, quod tempestive reperit Mucianus, et prudenti oratione aperuit consilium, vago et fluctuanti inde ab excessu Neronis Imperio ad-

hibendum. Is occasione utendum ratus, callidum solertemque se prae buit, et quod in constituendo Romanorum Imperio Mecoenas, idem fere in instaurando svasit Mucianus, cautoque et subtimido seni Vespasiano persvasit, ut rebus adhuc dubiis et asperis, fortissima quacque consilia tutissima esse cogitaret. *Xiphilinus in epitome in Vitellio.*

VI. Regebat Vitellius, sed ita, ut regendi curam abiicisse videretur: liberto suo, homini flagitioso et foedo nihil non permittebat, licentiae militari prorsus indulgebat, et lacerari imperium, convelli que suam imperantis auctoritatem, indignissime patiebatur. Nec tamen sibi temperabat, quin aliqua crudeliter faceret, et acerbitate supplicii, quod de Dolabella, ac de Orthonianis centurionibus sumpserat, magnam sibi invidiam odiumque constaret. Namque principatus initio securitati potius, quam vindictae consulere debuit, cum ut res suas mitiore imperio firmaret magis, tum ut consensu, studio et fide militum adversus fortuita niteretur. Sed cum alii horum dimissi essent et exarmati, alii Flavianorum promissis tentati paulatim deficerent, quidam voluptatibus fracti, segniter agerent, nihilque auderent, Vitellianae partes tandent spe animoque ceciderunt. *Dio Cocceianus in excerptis lib. LXV. apud H. Valesium. Tranquillus in Vitellio cap. XII. Tacitus Hist. II. et III.*

VII. Eventus approbavit Mucianum consilium; etsi rationes civiliter svasientes, non tam solidae erant, ut acquirendi iustitiam ruerentur. Res ipsa docet, *utilitati* non esse locum, nisi cum honestate coniungatur. Recti moris disciplina non refugit *gloriam*, quoad sine labe est, bonisque artibus. in toga aut bello paratur. Ratio *efficiendi* prompta et expedita ad hortandum valet, atque ad suscipiendum gerendumve aliquid impellit et excitat, si tamen vacat vitio, neque ambitioni servit. Nempe ira et spes, acres hominum stimuli sunt, et conantibus faciunt animos, fiduciamque addunt, sed facile

et crebro praecipitant, et, nisi fortuna corrigat, auctoribus saepe in exitium vertunt.

IX. Nemo tam ignarus est, ut nesciat, multa iniuste fieri, quae facientibus prospere ac feliciter succedunt. Exempla superiora versabantur Muciano ante oculos, cum suam Vespasiano operam promitteret, eumque ad eripiendum Vitellio imperium exhortaretur. Erat Mucianus gloriae avidus, et praemia honoresque ampliores sub Vespasiano Principe sperabat: hoc et annitendi, et audiendi, et agendi incitamentum habuit, nihil ceteroquin ausurus. Optimum ei videbatur, quod utilissimum, destinatisque rebus speciem praefferri, et malis etiam artibus, honesta nomina praetexti, intelligebat pariter et usui probabat.

IX. Quamobrem pars illa verborum, quibus suasionis Muciani initium constat, apte cauteque temperanda est in hunc modum. *Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, aestimare debent, an quod incuboatur, honestum et iustum, reipublicae utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certe non arduum sit.* Quos agendi fines statuit, et circumscribit recta ratio, neque ulla parte deminutos, sed plenos et integros requirit, ut famae agentis, et conscientiae acquirantis fiat satis.

X. Vitellius bonus videri poterat, si aut non fuisset Vespasianus, aut alio, suisque rebus commodiori tempore vixisset. Laesit aliquos, et sustulit; sed excusatio non defuit, quando securitatis causa id se facere putavit. Libertum Romanis invisum evexit, et publicae dignitati imposuit: id quod sane in eius potestate erat, aliorumque exemplo tueri licebat. Cohortes dimisit: quod non mali, sed negligentis fuit: neque hoc facto rempublicam dissolvit, sed levare voluit, et consuhere quieti. Quaedam eius opera sinistre accepta sunt, et pleraque etiam facta cum iniuria et crudelitate coniuncta, nullo colore defendi possunt. At haec non eiusmodi fue-

runt, ut privatae conditionis iudicem ferrent, multo minus imperantem eo redigerent, ut iure cederet suo. In summa imperii fortunalicet aliquando, et excusationem habet, quod alibi castigatur acrius et punitur. Quamquam et Vitellius ea laudis parte privatorum modestiam vicit, quod in dissentientem ab se Helvidium Priscum non modo non acerbè consuleret, sed etiam auctoritate sua tutum praestaret. *Vid. Dionis Cocceiani excerpta lib. LXV. Tacitus Hist. II. 91.*

XI. Mucianus contra svasit, gloriae et utilitatis, quam sperabat, appetens, temporumque gnarus, a luxurioso et segni Vitellio nihil Vespasiano timendum, ratione et usu confirmatus iudicavit. Difficultates, quae obicerentur, industria et constantia esse frangendas, callidus et facundus consultor censebat: legiones Vitellii pollicitationibus invitandas, quibus voluptarius Imperator displiceret: socordiam et securitatem ei causas exitii futuras: dissimilitudinem ingenii actionumque Vitellianarum, prode molitiem, inconstantiam et animi debilitatem: turpes pudendosque mores non formidari, sed vindicari oportere: iam non Imperatorem esse Vitellium, sed imperii dedecus et dehonestamentum: tantum factio opus esse; cetera prona fore: ipsum se in partem certaminis et periculi venturum: decus Imperii summum maximumque soli Vespasiano cessurum.

XII. Quae et alia cum ad augendam Vitellio invidiam odiumque afferret Mucianus, tum acrius incitavit Vespasianum, suoque periculo confirmavit, et ut ex eo fiduciae exemplum sibi sumeret, et, si armis decertandum esset, in sua ipsius facta inspiceret, enixius coepit adhortari his verbis. *Stimul ipse qui suadet, considerandus est, adiciatne consilio periculum suum: et, si fortuna coepts affuerit, cui summum decus acquiratur. Hist. II. 76.* Flectere difficilem, et inclinare repugnantem, ac dubitantem metu periculi, adducere in spem fiduciamque capeffendi Imperii, magnum arduumque opus
vide-

videbatur. Iam coeres deducta erat, ut remedia molliora non sufficerent, et acriora sine summo discrimine adhiberi non possent. Itaque pro salute publica ultro se offerebat periculo Mucianus, partesque sibi deposcebat, quae firmum et impavidum svaforem declarabant. Omnia enim, quae evenitura essent, subire et sustinere paratus, fidem dabat, animose fortiterque facturum, quod ducem et amicum Vespasiani deceret. Videbat tardo seni stimulos esse admovendos, qui rebus suis diffideret, et mala quaevis independentia nimis solite ac moleste reputaret. *Hist. II. 74.*

XIII. Quare verbis ad Principem directis, ipsum appellabat Vespasianum, et lento suspensoque gradu incedentem, ac in sublimi fastigio praecipites casus cogitantem, magnopere excitabat, et libere inclamabat. *Ego te, Vespasiane, ad imperium voco, tam salutare reipublicae, quam tibi magnificum, iuxta Deos, in tua manum positum est.* Magnam Vespasiano felicitatem contigisse autumat, quod ei cum occasio, tum facultas data sit restituendi Imperii, in quo salus omnium, dignitasque Vespasiani versentur. Nihil esse, quod eum prohibeat, dummodo velit, quod offeratur: id cur faciat, causas affert, et rebus, non verbis agendum monet.

XIV. Omnino quidem certa exequendi ratio non constabat Vespasiano, sed alia spes, alia metus ambigenti subiiciebat. Cadentis tamen reipublicae vicia facilius eluctandi spem faciebant, et a Muciano svadendi artifice non praeternittebantur. Idcirco pergebat dicens, nihil se dare auribus, et ab assentatione prorsus abhorrere, ut qui sciret, Imperium Vitellii ignavia corruptum, adeo ut suscipienti, fere magis probro, quam laudi futurum esset, nisi tandem a contemptu et iniuriis vindicaretur. *Nec speciem, inquit, adulantis expaveris: a contumelia, quam a laude propius fuerit, post Vitellium eligi.*

XV. Nondum hortari desinit Mucianus, atque expedi-
tam

tam consequendi Imperii rationem aperit, negotiumque hoc, quod difficile existimari possit, brevi confectum iri promittit. Nam Vitellium nullo loco numeroque habet, et cum superioribus, qui decesserant, Imperatoribus ne minima quidem laudis parte comparandum putat. Augustam Claudiam, Domitianamque familias summa nascendi dignitas, et contracta cum Imperatoribus necessitudo commendabant, quarum altera ad venerationem, altera ad successionem valebat. At praeterquam quod utraque ratio deficiebat Vitellium, ne vitam quidem tanto fastigio dignam agebat, consiliumque non a regendi peritis, sed ab histrionibus et aurigis petebat, atque adeo infima summis miscebat. Proinde addit Tacitus. *Non adversus divi Augusti acerrimam mentem, nec adversus cautissimam Tiberii senectutem; nec contra Caii quidem, aut Claudii, vel Neronis fundatam longo Imperio domum exurgimus.* Sumpto a dissimilibus argumento, ostendit, Vitellium superioribus, qui ante eum regnaverunt, imperatoribus genere et animo imparem, plus sibi oneris imposuisse, quam ferre queat. Haec tempora firmiores postulare humeros, in quibus respublica innitatur: satis spectatam esse Vespasiani moderationem, quod Nerone sublato, non refragari Galbae, nedum resistere voluisset. *Cessisti, inquit, etiam Galbae imaginibus.* Mox instat, et, ne suadendo nihil proficiat, acrius excitat diffidentem sibi Vespasianum. *Torpere ultra, et polluentem perdendamque rempublicam relinquere, sopor et ignavia videretur, etiamsi tibi, quam in boneſta, tam tuta servitus esset.* Maiore nunc ad movendum vi utitur, et rogat vehementius, ac per salutem honoremque imperii obtestatur, et ferme impellit cunctantem. Quasi is, quem tot bella non subegissent, non recusaret stare in acie, neque expavesceret Vitellium, qui et sibi, et Imperio perpetuam labem inferret. Erat hoc eiusmodi, ut Flavius spe inflammatus, continuo ad sententiam monentis accederet, et in tanta rei gerendae facultate,

cultate, non faceret moram. Multo aliter Mucianus cum Flavio, atque olim Parmenio cum Alexandro M. egit; quorum alter identidem excitabat Principem, quippe remissum nimis ac lentum: alter temperabat contra, qui acre fervidumque Macedonis ingenium norat.

XVI. Prudentis est discernere, quando et cui suadeas, nec ratione solum, sed usu etiam atque experientia, quid faciendum aut vitandum sit, demonstrare. Itaque Mucianus negotium, quod volebat confici, diligenter curabat, et simul id, in quo erat firmamentum causae, Vespasiano suo non segniter exponebat. Si enim saluum se vellet, iret, atque in certamen descenderet: sin omitteret, frustra deinceps opem se imploraturum sciret. Nullum fuisse tam abditum Vespasiani consilium, quod fugisset Vitellium, brevi ulturum, quas exploratas haberet, insidias, si mora longiore ulciscendi occasio daretur: acciperet ergo Imperium, quod virtus et fortuna obtulisset; nisi id faceret, conatusque Vitellii anteverteret, spem evadendi nullam fore reliquam, quando omnia ad ipsum opprimendum iam comparata esse videantur. Hoc verba subiecta declarant. *Abiit iam et transvectum est tempus, quo posses videri concupisse. Confugiendum est ad Imperium.* Quae cum profert, simul censet indignum Imperio Vitellium, quippe quem, post veteres historiae augustae scriptores, *Lampridius* inter prodigiosos tyrannos numerat, atque his nominibus a Vespasiano distingvit, in *Antonio Helio-gabalo*. Quod idem *Freculphus* indicat, et Vitellii Imperium turbida tyrannorum tempestate includit, eaque discussa, tranquillam sub Vespasiano serenitatem rediisse testatur, *Chron. T. II. lib. I. c. 21.* Hinc recentiores, et qui ad sequiora tempora perveniunt, vel plane Vitellium omittunt, vel cursim et obiter attingunt, ut *Lucas Tudenis* in *Chronico mundi* p. 33.

XVII. Amplius procedit Mucianus, et quem in locum res deducta sit, perspicue docet, metumque mortis, ni mature-

tur consilium, Flavio ostendit, 'et famae honorisque discrimen ei ante oculos ponit. Eius rei causa exemplum Corbulonis affert, qui sero intellexerit errorem, fiducia benevolentiae admissum, cum nec opinanti, et bene merito mortem Nero denunciasset. Ex quo posset intelligi, quid Flavio sperandum esset, cuius omnia, quae suscepisset, consilia Vitellius iam cognita haberet, tantoque magis de opprimendo factionis duce cogitaret. Huc animum intendit Mucianus, quum ait. *An excidit trucidatus Corbulo? splendidior origine, quam nos sumus, fateor.* Corbulonem Nero patrem dixit, et quanta potuit benevolentia persecutus est, ut *Xiphi- linus e Dione* refert. Praeterea clari generis fuit, et splendore natalium vicit Flavium, quippe obscura stirpe editum, et nullis maiorum imaginibus decoratum, quod *Tranquillus tradit in Vespasiano*. Neutro tamen dignitatis praesidio tutus a nece fuit, quod documento esset, certo perituum, si expectaret, quem antevertere posset, ictum. His rebus celeritatem commendat, et securitatem dissuadet, ut quae exitus raro prosperos habeat, et plerumque exitium afferat incautis. Deinde Neronis exemplum subiicit, quem avitus augustusque sanguis prae Vitellio extulit, sed minime securum praestitit, et contra fatales insidias firmum. *Sed et Nero, nobilitate natalium, Vitellium anteibat.* Nihil tamen hoc deterruit Ca- ium Iulium Vindicem, neque prohibuit, quominus Neroni Galbam, ab Augusta stirpe remotissimum praeferret. Magna haec et memorabilis mutatio fuit, cum uno atque eodem tempore Aeneae et Augusti progenies in Nerone deficeret prorsus et extingueretur. *Xiphil. in Nerone, Tranquillus in eo, et Galba.*

XIIX. Persequitur, quod instituit, Mucianus, quasi timiditatem exprobrans, et eo magis acri adhortatione Flavium incitans, ut omnia potius perferenda esse duceret, quam spe potiendi caderet, segnitertque agendo, interitum sibi affer-
ret.

ret Abiiceret ergo metum, et viam virtute sibi aperiret, armisque rem conficeret, nec de nascendi splendore angere-
tur. Parvireferre, iactari stirpis originem, et praedicari ma-
iorum facinora, quae posterius laboribus neque augeant, neque
imitentur. Suis quemque factis nosci, et fortiter agendo
parari gloriam, quae firma stabilisque sit, et hosti iniiciat terro-
rem. *Satis clarus est apud timentem, quisquis timetur.* Va-
lebat solertia Flavus, ac belli peritia praestabat aemulo, qui
non magis de Imperio, quam de vita metuebat, et in extremo
utrumque amittendi periculo versabatur.

XIX. Nihil, quod movere posset, omittebat Mucianus, et
ne inanem operam sumeret, negotium altius ordiebatur.
Nam eligendi Imperatoris ius ad exercitum pertinere affirma-
bat, adducto Vitellii exemplo, quod recens pariter et notum
testatumque erat. Igitur cupiebat, ut cognita exercitus vo-
luntate, Vespasianus saevorari sineret, et tradita potestate u-
teretur, neque illam causam defereret, quam cum eo respu-
blica communem haberet. Vitellium nulla re clarum, et
belli rudem, voluptatibus deditum, non animo, neque consi-
lio valere: summam rerum nihilominus Vitellio permissam,
non virtutis causa, neque studio militum, sed ne Galba sibi
invisus regnaret: postea Othonem acie congressum, accepta
apud Cremonam clade, vitae taedio, et desperatione rerum
omnium, sibi manus intulisse, non Vitellii fortitudine, sed
astu atque insidiis superatum. *Et posse ab exercitu Principem
feri, sibi ipse Vitellius documento est, nullis stipendiis, nulla
militari fama, Galbae odio proventus. Ne Othonem quidem
ducis arte, aut exercitus vi, sed praepropera ipsius desperatione
victum, iam desiderabilem et magnum Principem fecit.* Ita
non modo non fortis fuit, sed ne fortitudinis quidem opinio-
nem habuit Vitellius, tanto facilius a Vespasiano superandus,
quanto molliore animo esset. Hoc ei moris corrupti testi-
monium reddebat Mucianus, ut intelligi posset, qualem se in

vita et imperio gessisset. Fuerať quidem familiaris et carus Imperatoribus, qui decesserant, sed vel ob vitia, vel ob artes spernendas et viles, liberali et erecto animo indignas. Tiberio libidinis instrumentum se praebeuit, Caligulae aurigandi peritiam approbavit, in aula Claudii plurimum aleae tribuit, Neroni hilariter viventi apparuit, et inter Citharoedos ministravit. *Tranquillus in Vitell. c. III. IV.* Quae per se quidem vituperationi erant, sed privato adhuc Vitellio condonari poterant; Principi autem vehementer derogabant, gloriamque minuebant, et dignitati commodisque officiebant, atque militum pariter ac civium animis reverentiam excutiebant, causasque perdendi maturabant, cum illorum praecipue erga Vitellium amor studiumque refrixissent, et robore etiam luxuria atque heluationibus confecto, nihil praeter imbellem timidamque turbam, imperatori suo reliquissent. *Cum intorim* (Vitellius) *spargit legiones, exarmat cohortes, nova quotidie bello semina ministrat. Siquid ardoris ac ferociae miles habuit, popinis et comessationibus, et principis imitatione deteritur.* Flagitiosi principes plus exemplo, quam peccato nocent, ac laedunt, et falsa felicitatis imagine decepti, curam imperandi abiiciunt, suisque voluptatibus se enervant. Vitia quoque ad cives transmittunt, qui malunt exempla sequi, quam leges, quasi apertum ad licentiam campo, sic impune liceat peccare. Postea, quam exhausti sunt, odium subit, et cum fortuna fides perit, ac repente afflicta inclinat respublica, statusque imperii convertitur et turbatur.

XX. Omnia, quae instabant, et eventura erant, cogitatione praecipiebat Mucianus, ac nihil metu, vel dissimulatione reticebat, sed imo propius accedebat ad causam, et directius alloquebatur Vespasianum. Quod faciebat, ducto ab interiori conditione argumento, ac vires utrinque et copias tempestive aestimabat, idque eo potissimum spectabat, ut recogitaret incertus consilii senex, quibus praesidiis niteretur.

Tibi

Tibi e Iudaea et Syria, et Aegypto novem legiones integrae, nulla acie exhaustae, non discordia corruptae: sed firmatus usu miles, et belli domitor, externi. Classium, alarum, cohortium robora, et fidissimi reges, et tua ante omnes experientia. Res ipsa, ut comprobatur Mucianus, fidem faciebat, Vespasianum, si vellet, habere facultatem adipiscendi imperii, et Vitellio multum praestare viribus, et usu scientiaque bellandi ipsum longe etiam antecire. Nihil ergo restabat, quam ut Vespasianus in fortitudine praemium fortitudinis quaereret, ac submoto Vitellio, praecipuam facti gloriam ad se pertinere ostenderet, et quod prope iam in manu esset, imperium teneret: tantum sibi primum inter amicos locum decerneret, neque Valentem et Caecinam, Vitellianarum duces partium, ullo virtutis argumento sibi praeponeret, sed vera aestimatione sua cuiusque merita pensaret: brevi, cum castra moveri, et signa inferri iubeat, quid inter suos et Vitellianos intersit, cogniturum: ne Vitellio quidem ipsi dare se laudis palmam, sed Vespasiano se concedere ultro, eumque sibi libenter praeferre, ac nihil denique, nec laborem, neque periculum pro eius salute recusare. Nobis, pergit, nihil ultra arrogabo, quam ne post Valentem ac Caecinam numeremur. Ne tamen Mucianum socium spreveris, quia aemulum non experiris: me Vitellio antepono, te mihi. Tempori servit, et quid sentiat, quidve cupiat, ingenue indicat, ac libere, sed erga Vespasianum modestiae retinens, exprimit Mucianus.

XXI. Alia, et ad persuadendum accommodata ratio erat, quam Mucianus e firmo stirpis praesidio, duobus filiis subnixo, repetebat. Vitellius praeterquam quod effeminatus erat et stupidus, carebat etiam matura, et apta ad imperandum sobole, nec fundamentis insisteret pluribus, quibus imperium familiamque firmaret. *Tuae domus triumphale nomen, duo iuvenes, capax iam imperii alter, et primis militiae annis apud Germanicos quoque exercitus clarus.* Titum.

intelligit, maiorem Vespasiani filium, in Germania honoribus militiae perfunctum, qui sex ac viginti annos confecerat, quum aetate et usu confirmatus; ad imperium, si pater decederet, idoneus habebatur. *vid. Tranq. in Tito c. IV.* De hoc loqui peritendit Mucianus, quem dignum imperio existimabat, adeo ut si ipse rerum summam teneret, Titum quoque in familiam nomenque asciscere, et successorem destinare vellet se, reciperet atque confirmaret. Domitianum, filium alterum, prudens omittit, cuius non eadem, quae Titi indoles, et mores suspecti passim atque invisi, ius denique nascendi ordine posterius, et spes succedendi remotior erant. Quamquam revera Domitianum amavit et amplexus est, quippe quem, sublato Vitellio, commendationis gratia ad milites adduxit, *apud Xiphilinum in Vitell.* Proinde verbis ad modestiam compositis, instat Mucianus. *Absurdum fuerit, non cedere imperio ei, cuius filium adoptaturus essem, si ipse imperarem.* Vitellius quidem duos genuit filios, sed alterum, ut fama tulit, de insidiis suspectum occidit, alterum nulla re insignem, et negotiorum moli imparem, secum in calamitatem exitumque traxit, *Tranq. l. c. et Xiphilinus in eodem.* Tantum miror, Xiphilinum scripsisse, nullum ex propinquis Vespasiani a Vitellio interfectum, cum pro certo affirmet alii, Sabinum Vespasiani fratrem, in Capitolio, ad quod confugerat, iussu Vitellii incenso periisse, *Tranq. c. XV. in Vitell.* Quem enim ferro non occidit, igni delevit; id quod crudelissimum occidendi genus putari debet. Sed imo adhuc Xiphilino sua constat scribendi ratio, caedem manu armisque factam infitianti. Diversus ab hoc Sabino est, quem is ipse cum Domitiano ex Capitolio salutis causa profugisse memorat, *in Vitellio.*

XXII. Aptam consilii rationem exposuerat Mucianus, cum pro animi solertia, commodam acqvirendi conditionem propo-

proponeret, decusque Augustum ita promitteret Flavio, ut sibi labores et pericula pacisceretur ac reservaret. Honore, quem is daret, et praemio, quod tribueret, se contentum ratus, denuo afferebat causam, cur acciperet imperium, cuius adipiscendi ratio expedita foret, si modo Flavius voluntatem accipiendi declararet; quod eum facere par esset, quando se comite et socio, et duce bellorum prompto, atque ad omnes casus excipiendos parato, semper et pro arbitratu suo posset uti. *Ceterum inter nos non idem prosperarum adversarumque rerum ordo erit. Nam si vincimus, bonorem, quem dederis, habebis: discrimen, ac pericula, ex aequo partiemur. Imo ut melius est, tu hos exercitus rege; mihi bellum, et praeliorum incerta trade.* Vespasianus, iam comparatis potentiae subsidiis, facile hac prospicere animo, et ex rationibus argumentisque Muciani, coniecturam facere idoneam potuit, et consultori certe viri boni fidelisque opinionem reliquit. Lente tamen paulatimque consilium tale conficiendum suscepit, non ignarus incertae bellorum fortunae, et, si vinceretur, exitii praesentis. Sed Mucianus etiam atque etiam instabat, causam publicam privata potiore ducens, ipsumque se periculo offerens, et spei fortunaeque melioris initium ostendens. *Acriore, inquit, bodie disciplina victi, quam victores agunt: hos ira, odium, ultionis cupiditas ad virtutem accendit; illi per fastidium et contumaciam hebescent. Aperiet et recludet coniecta et sumascentia victricium partium vulnera bellum ipsum.* Nulla quidem militis Vitelliani disciplina erat, neque ignavus Imperator rebus lapsis consilium praestabat: versi in molliciem mores reddebant animos Vitellianorum languidos, ut suam ipsi conditionem moleste ferrent, et inter desperationem metumque ancipites, praesentia non recte disponderent, et instantia negligerent, nihilque magnum et expectatione dignum molirentur. Remissae tor-

spore

pore legiones, otium et quietem potius, quam praelia expectabant, et difficiles, neque ad audendum promptae, neque ad perferendos militiae labores idoneae, refugiebant belli molestias et fastidiebant, adeo ut non acuerent animos atque intenderent, sed langvore corrumperent, et perturbatione obrunderent, hebetesque redderent, ac infirmos. E diverso Flaviani non timidi erant, neque ignavi, sed ratione aestimabant pericula, et usu consuetudineque bellandi fidentes et firmi, nihil non propter gloriam faciebant, et in armis pariter atque lacertis spem victoriae collocabant, non dolore metuque confusi, sed pugnandi cupiditate incensi, et flagrantes ira, ultionisque appetentes. Quibus rebus ostendebat fore, ut Vespasianus omnino vincat, et notas ac monumenta gloriae, fide ac fortitudine insignita, per cicatrices et vulnera militum suorum distingvat.

XXIII. Ad extremum non cessabat hortari Mucianus, et finem dicendi facere cupiens, annitebatur atque optabat, ut sibi tandem suae fructus operae constaret. Argumenta, quae ad persuadendum valent, audierat Vespasianus; iam per suas ipse virtutes summatim graviterque admonetur, dignum Principe animum capiat, Vitelliumque segnem, prodigum et saevum, ne patiatur imperare. Hoc ut obtineat, apte concludit et colligit, Vespasianum omnibus naturae fortunaeque subsidiis abundare, quibus ad liberandam rempublicam, et profligandum hostem opus sit, modo stet animo, et consilio utatur suo. Posse eum, quod petat ac siveat, efficere, cumulateque praestare, cum praeter diligentiam, quam rebus adhibeat, virtute et recte agendi solertia, atque opibus, bellorum nervis, nitatur, atque omnia ab indole et usu adiumenta habeat, quae ad coepta perficienda requirantur. Explicata sunt verba Muciani. *Nec mihi maior in tua vigilantia, parsimonia, sapientia fiducia est, quam in Vitelli torpore, in-*
feria,

scitia, faevitia. Tum vero in armis causae momentum, et liberandi Imperii spem, et acquirendi facultatem ponit, tantoque magis militarem virtutem aestimat, quanto minus utilem censet desidiam ac langvorem. Vel eo inprimis argumento, quod non alia sit declinandi periculi ratio, neque alia restet belli finiendi conditio, quam si ferro diiudicetur. Hinc subiicit Mucianus. *Sed et meliorem in bello causam, quam in pace habemus.* Ad postremum affirmat, non habere, quod speret, se Vitellio reconciliatum iri, quum sciat, consumptam esse gratiam, nec patere eo reditum, propterea quod defectionis consilium pro defectione habeatur, eademque lege puniatur. *Nam qui deliberans, desiverunt.* Hucusque Mucianus.

XXIV. Vespasianus Imperium defectione partum, consilio ac moderatione firmavit, belloque civili, quod multis annis duravit, finem imposuit, et Romam pariter atque provincias, variis antea motibus agitatas, ab exitio, quod imminebat, vindicavit. Collectas deinde vires in Hebraeos vertit, remque publicam divinis legibus usam, sed postea Deo invisam, ac discordiis fessam, sustulit penitus ac subvertit, creptus quippe saepius a periculo et servatus, ut superesset, qui ulcisceretur obstinatae gentis impietatem. *Iosephus de bello Iudaico l. VII.*

XXV. Ergo felicitatis suae principium ab opedivina, et adiumenta ab usu ac prudentia habuit, neque ei occasio, nec fortuna defuit, sed utranque coeptis idoneam, non segniter adhibendam iudicavit. His initiis tanti conatus operis stetit, et difficultatibus, quae obsistere, vel nocere poterant, sublatis, tandem ad fastigium pervenit. At imperium his acquisitum auspiciis, non diu in familia eius continuatum est, cuius rei causa quia Domitiano arcessenda sit, non facile dubitabo. Nam cautus et fortis pater manu et consilio

potentiam sibi comparavit, quam degener filius crudelitate et incesta libidine amisit. Et si enim Imperia difficilior acquiruntur, quam conservantur, tamen illo reipublicae statu, quo inde a temporibus Galbae, milites sibi sumebant eligendi ius, eorum favor pro titulo erat, et exorta contentione partium, alterutri harum ad acquirendum proficiebat. Electio autem haec periculosa fuit, et multis nocuit exemplo. Quemadmodum enim alios exivit, sic depressit alios, et conspiratione facta evertit. Sapienter hoc reputavit *Iosephus Antig. lib. VIII. c. 7.* Flavia quidem familia diutius regnatura fuisset, si Domitianus paternas regendi artes servasset, et ab incesta libidine, ac Neroniana, quae exitum ipsi attulit, crudelitate abstinuisset. Post caedem Domitiani Nerva electus est, qui adoptione facta, prudens fraenavit militarem licentiam, et successionem denuo securitatis praefidum Imperio comparavit. *Victor et Eutropius in eo.*

XXVI. Qui Vespasianum imitari cupiunt, necesse est omnia circumspeciant, quae obstare possunt: si Imperium electione constitutum est, ratio acquirendi expeditior, si successionem fundatum, magis ardua est ad acquirendum via. Venire tamen usu potest, ut in regno etiam, in quo successio obrinet, aequae opportuna sit acquirendi occasio, si aliunde adveniant, quae coeptum fortunent ac iuvent. Saepae enim rerum, quas similes esse putant homines, insignis dissimilitudo est, si propius penitusque inspiciamus. Docent hoc regna, non minus vetera, quam hodierna, quae ob dissimiles causas amissa et acquisita sunt, illa etiam, quae continuata successionem viguerunt, Assyriorum, Persarum, Macedonum, Romanorum, Francorum, Britannorum, qui non solum non in eodem potentiae gradu, quo ipsorum maiores, constituerunt, sed quoque ab eo, propter agendi et regnandi dissimilitudinem, prorsus deciderunt. Neminem fugi-

ſigunt exempla Childerici III. Canuti M. Bretislaï, Sigismundi III. novissime Iacobi II. qvî regnum ab origine ſua liberum, et in libertate perpetua conſervatum, ideo amiſit, qvîa pacta, qvibus coaluit ſemper et conſtitit, repromiſſionis ſuæ oblitus, violavit, et religionem, quæ integro abhinc ſeculo, primas in regno partes tenuit, ſpecie paritatis inſirmare paulatim, et deinceps extirpare voluit, ad quam tuendam iureiurando ſe obligarat. Hoc enimvero regnum non ex communi regnorum conditione, ſed ex ſuis legibus, moribusqve æſtimandum eſt, in quo Reges ab iſſis etiam regni incunabilis, poteſtatem non amplam, eamqve pactis aſtrictam, et æctiſſime circunſcriptam habuerunt; quæ ſane eiſmodi ſemper fuit, ut omne pondus a ſuffragio Ordinum acciperet, quorum poteſtas in regno, non turbato eiſ ſtatu, prævaleret. Palam eſt, Reges illos hoſtes regni eſſe indicatos, qvî Ordinum iura invaderent, Senatusqve poteſtatem inſringere, aut deſere vellent. Succeſſio qvidem recepta, ſed ita temperata eſt, ut momentum ei afferat Procerum et populi conſenſus. Omnino in monumentis regni, tam editis, quam ſcriptis legitur, Regum filios qvidem relinquî a Parentibus, ſed Reges fieri voluntate et *voſo*, hoc eſt, electione conſtitui, et, qvôd annotari refert, ſi plures ex ſtirpe regia ſuperſint, iudicio Primorum et populi ſucceſſorem definiri. Memini quoqve Reges, cum propter delictum fratres ſuos excludere, et privare ſuo iure cuperent, per ſeipſos ſtatuerè non potuiſſe, ſed cauſam reieciſſe ad Curiam, quæ de huiusmodi factis cognosceret, et ſecundum regni leges iudicaret, convictumqve daminaret. Tum Reges ſteriſſe iudicio, aut ſi qvîd contra fieret, ab Ordinibus interpellatos et impeditos, tandem in *Curia*, hoc eſt, Comitiorum decreto, qvôd eos regno aſtrictos tenebat, acquieviſſe. Igitur in extrema incurrunt, qvî regnum hoc

ex regnis aliis aestimant, quippe quod plus ex republica, quam ex regno habet; iccirco tamen ad paucorum, vel ad popularis Imperii conditionem redigi non potest. In eam sententiam legi possunt *Matthaeus Paris. Vilhelmus Malmesburienſis, Thomas Valsinghamus, Matthaeus Westminsterienſis, Rogerius Hovedenus, Simeon Dunelmensis, Henricus Huntingdon, Ailredus Abbas Rievallensis, Ioannes Brompton, Radulphus de Diceto, Henricus Knighton, Hubington, Crowen, Buks, Burnet*: praeter quos extant publica regni instrumenta et *chartae*, in regni tabulariis, et bibliotheca Cottoniana. De industria praetermisi *Polydorum Vergilium*, odii in Anglos manifestum, etsi ex eo quoque indicia et argumenta peti possunt, quae ad fulciendam Senatus populiqve Britannici auctoritatem haud obscure spectant. Ego tandem hoc commentariolum finio, bene precarus REGI GVILELMO, LIBERATORI BRITANNIAE, VINDICI HIBERNIAE, VICTORI HOSTIVM, DOMITORI PERDVLLIVM, PARIVS CVM AVGVSTO LEOPOLDO AVSPICIIS, CVSTODI SECVRITATIS PVBLICAE, PROPVGNATORI AFFLICTORVM PRINCIPVM, STATORI DENIQVE LIBERTATIS EVROPAE, REGI DIVINITVS DELECTO ATQVE SERVATO, VT BRITANNOS E IVGO, QVOD CERVICIBVS EORVM IMPENDEBAT, EREPTOS, SVA ET VICINORVM CAUSA SALVOS PRAESTARET, AB INIVRIAQVE DEFENDERET, AC BENIGNE TVRETVR, PRINCIPI PIO FELICI MAXIMO, QVI PLVS CONFECIT, QVAM ALII DESTINARVNT, PLVS FACILE BIENNIO GESSIT, QVAM AETATE SVA VEL CERTE IMPERII TEMPORE EGIT VESPA-
SIANVS.